Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

etiam regem movit, ut juberet hominem cauſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere inficiatione. Canis ejus orationem latratibus atque aſſultibus obturbare: ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant interpretarentur. Eo res deducta eſt, ut juſſu regis homicida cum provocatore ſingulari certamine dimicaret. Picta eſt canis victoria in cœnaculo quodam regio. Pictura vetuſtate dilutior atque obſcurior facta, regum mandato, ſemel atque iterum reſtaurata eſt.

CAPUT XII.
DE CERCOPITHECO, & CATOBLEPA.

IN Praſiana regione Cercopitheci, maximis canibus vix cedunt magnitudine. Cauda quinque cubitorum eſt; ex fronte propendent comæ, barbamque promittunt, ingenita quadam manſuetudine. *Strabo l.* 15. Sunt & alii miræ magnitudinis, forma hominis: Cruribus ſiquidem, virili membro, facie agreſtem repreſentant hominem, toti alias pilo obſiti. Amant pueros & mulieres, in harumque ruere conantur amplexus; *Cardan.* Communes noti ſunt, hi teſticulos habent, cærulei & viridis coloris. cum ſpicas depaſcunt, unus in campo decubat, edit clamorem percepto agricola, cæteri fugiunt. Crocodilum tantopere abhorrent, ut ne longinquum quidem pellis ejus conſpectum ferre poſſint. Cum aliquando id experiretur Gyllius, cum tremore, & alvi dejectione vinculis quamvis conſtrictos, per ignes & aquas, furenter evadere voluiſſe, obſervavit. In Cariai orâ genus quoddam è ramo in ramum inſilit, ac ſi volaret, apro infeſtum. Nam in admotum furibunde inſiliit, & cauda circumligavit. Tauro ſimilem *Catoblepam* prodidit *Ælian. l.* 3. truculentam eandem, terribili aſpectu, oculis ſanguine ſuffuſis terram ſpectare. Mortiferas depaſcitur herbas, ac ſimul ut taurino aſpectu conſpexit, horret, jubamque erigit. Hac elata, apertiſque labris horrendum quid-

quiddam emittit de gutture, ut aër ſupra caput inficiatur, & ab aliis hauſtus vocis auferat uſum, lethaleſque convulſiones inducat. Rem ita eſſe, per Marii milites cognitum. Cum enim feram eſſe putarent ovem, ſtrictis in eam repetitis vicibus incurrêre gladiis: ſed necati naturam detexêre belluæ. Occiſa poſt per Nomades equites, & ad Marium adducta eſt.

CAPUT XIII.
DE CYNOCEPHALO, & CHAMÆLEONTE.

CYnocephalus animal eſt capite canino, forma hominis, piſcationis peritiſſimum; toto enim die aquæ immerſum, cum magna piſcium copia emergit. Veſte indui mirifice gaudet, hominum nulli nocet. Indorum linguam intelligit, boves denique lactis cauſa manſuete paſcit *Plin. l. 7. c. 2. Strabo l. 15.* Duo in eo maxime mira. Primo, quod duobus anni æquinoctiis, duodecies in die, per ſingulas horas urinam reddit, noctu idem faciendo. *Precioſ. Iohan. in Epiſt. ad R. P.* Vnde imago apud Ægyptios Cynocephali in horologiis urinam mittentis. Alterum eſt, quod ubi aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers eſt luminis, mas nequicquam intuetur, nec veſcitur ſed demiſſo in terram perſiſtit vultu: fœmina etiam nuſquam oculos contorquet, miſſo inſuper è genitali vaſe ſemine. Ideo adhæc uſque tempora in ſacris nutriuntur, ut Solis & Lunæ conjunctionis ex iis cognoſci poſſit tempus. *Chamæleontem* Africa gignit, frequentiorem India. Quinque digitos in pedibus habere dicitur, quibus ſtat paſſis, curvat eos ubi teretibus incumbit ſurculis. Mutat colorem ſubinde, & oculis & cauda & toto corpore; redditque ſemper, quemcunque proxime attingit, præter rubrum candidumque; defuncto pallor ineſt. *Plin.* Aërem illi aliquando pro cibo certum eſt. Nam & annum integrum inediam tolerat, & excepta hiatu aura, clauſiſque malis

tur-